

## 45.

Viro Clarissimo ac Præstantissimo Carolo Linnæo Equiti  
 Petrus Arduinus S. P. D.

In epistola, quam quatuor ab hinc mensibus ad te scripsi, me tibi missurum scripseram nonnullas plantas, ut de iis quid sentires mihi humaniter indicares. En igitur illarum stirpium specimina; quarum aliæ novæ species esse mihi videntur, aliæ me in dubium conjiciunt, utrum reapse sint species novæ, an ab aliquo auctore descriptæ, aliæ demum in tuis speciebus desunt, et quia a te nunquam uisas fuisse existimo, idcirco ad te mitto. De utrisque primis, utrum novæ sint necne, rogo te etiam atque etiam, ut ad me scribas quid sentias; omnes enim apud me delineatas et descriptas asservo, eo animo ut, postquam tuam sententiam de iisdem intellexero, specimen alterum Botanicarum observationum typis committam. Quod si non abnuis, meam illam lucubrationunculam tuo nomini inscribam, ut exacte aliquod obsequii erga te mei publicum testimonium. Interim cura ut valeas, meque benevolo patrocinio prosequere. Vale.<sup>1</sup>

---

Odateradt, men troligen skrifvet i Aug. 1761.

Linn. Soc., Vol. I: 168—171.

<sup>1</sup> Originalalets härfpå följande långa växtlistor ha uteslutits.

## 46.

Amplissimo Celeberrimoque Viro  
 D. D. Carolo Linnæo  
 S. P. D.  
 Petrus Arduinus.

Humanissima tua Epistola<sup>1</sup> Kalendis martij summa me animi lætitia affectit, sed et moerore simul, cum intellexerim te nondum accepisse meum Specimen, quod anno præterito per Suecicum Consulem Venetiis commorantem ad te miseram, una cum plurimis Plantarum Sceletis, quarum partim nondum mihi nomen innotuerat, partim, quamvis nomen inno-